

Kern 277 1-16

ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PROCANCELLARIUS
D. IOANNES CHRISTOPHORVS
P O H L I V S
PATHOLOGIAE PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS MEDICAE
ET COLLEGII B. M. VIRGINIS SENIOR ACADEMIAE
DECEMVIR COLLEGII MAI. PRINCIP. COLLEGA
PHYSIC. PROVINC. ET ACADEMIAE
IMPER. N. C. SODALIS
P A N E G Y R I N M E D I C A M
AD DIEM III. SEPTEMBR. MDCCCLXXIII
I N D I C I T
ET
OBSERVATIONES ANGIOLOGICAS DE VENIS
P R O P O N I T.

15
DIONYSIUS ALEXANDER
PROLOGUS
DIONYSIUS ALEXANDER
PROLOGUS
DIONYSIUS ALEXANDER
PROLOGUS
DIONYSIUS ALEXANDER
PROLOGUS
DIONYSIUS ALEXANDER
PROLOGUS



OBSERVATIONES ANGIOLOGICAE DE VENIS.



Quemadmodum nec superuacaneum, nec inutilem suscepisse laborem putandi sunt, qui in doctrinis mathematicis ac physicis res, doctorum virorum praceptis traditas, adiectis tentaminibus demonstratas, usque et experientia confirmatas, factis denuo a se obseruationibus commemorandis stabilire solent, quibus vel maiorem antea dictis fidem faciant, vel clariorem lucem paulo obscurioribus affundant, vel planiorem difficultatum, si quae superfuerint, expediendarum viam ostendant: ita et in scientiae medicae partibus, maxime iis, quarum vniuersus fere ambitus obseruationum ac tentaminum veritate et perspicuitate continetur, hanc contemnendam adhibere videantur operam, qui animaduersiones et explorations, passim institutas et deinceps colle-

A 2

ctas,

etas, in lucem adspetumque proferre sustinent, non quo ipsi noua plane et insolentia se tradere intelligentibus putent, sed vt aliquid illustrationis atque confirmationis rebus, diu haud temere propositis, adiicere velint. Ea enim est ingenii humani indoles, vt saepe testimoniorum exemplorumque numero malit quam pondere ad intelligendum et credendum induci, nec paullo plus certitudinis consequi se existimet, si, quae praeceptorum et experimentorum auctoritate constent, eadem repetitis subinde eiusdem generis obseruationibus illustrari comprobarique videat. Et sane, si recte volumus accurateque iudicare, vt in omni literarum genere, ita vel maxime in doctrinis, ad artem salutarem pertinentibus, haud pauca superesse fatendum sit, quae, cum lubricas et ancipites vias ostendant, adeoque paullo difficiliores explicatus habeant, recentibus in dies animaduersionibus et factis inde demonstrationibus sic proponi et in clariore luce collocari animus, qualiumcunque obseruatiuncularum levitate acquiescere nolens, haud immerito cupiat, vt, quicquid dubitationis aut obscuritatis hic vel illic reliquum fuerit, id, nisi prorsus tolli ac profili-gari, saltem imminui aliquantulum et circumscribi possit.

Anatomicae quidem doctrinae eam constat esse rationem, vt, quo pluribus ac luculentioribus in eadem saepe numero re obseruatis et inuentis succidente tempore locupletari soleat, eo proprius ad perfectionis fastigium accedere, eoque maiora certitudinis vel adiumenta vel ornamenta capere existimet, quibus destituta aut dubios suspensos que colentium animos teneat, aut pro lubitu quaevis concendi et sumendi, peculiaresque opiniones temere excuspendi levitati locum relinquat. Hinc celeberrimos semper

Me-



Medicos eius esse sententiae haud poenituit, vt statuerent, quidquid sua sibi ipsorum experientia animaduertere contigisset, vel post aliorum scrutinia penitus inuestigare licuisset, id, etiam si non adeo rarum et infrequens esset, tamen ad communem rei medicae vtilitatem se proferre posse atque cumuli addendi causa debere. Quapropter et ego, qui summorum illorum virorum exempla imitari conatus, superioris pariter ac recentioris aeuī obseruationes, meo ipse vsū vt veras ratasque deprehenderem, semper studui, neque a niuneris mei ratione abhorrere, neque fructu prorsus carere arbitratus sum, si per oblatas scribendi opportunitates nonnulla eiusmodi obseruatorum specimina ederem, quae vel cum aliorum tentaminibus conferri et ad illustrandum adhiberi, vel rerum similiūm, saepe minutūm, at vero vtilium, attendendarum studium iniicere aliis possent. Ex quo genere fuerunt, quae nuper de arteriis obseruata scriptiuncula quadam proposuimus, quorum aliqua adhuc pars, ad venas spectans, superest, quam hoc libello absoluere constituimus.

Ac primum quidem maximam occurrere in vasis tam arteriosis quam venosis diuersitatem, largamque adeo colligendarum obseruationum offerri materiam, saepe est a viris aliis, in hoc doctrinae genere diu multumque versatis, admonitum et a me in superiore programmate pag. VI. seqq. indicatum, neque vltiori indigere videtur demonstratione. Quod autem venas maxiime attinet, haud pauca mihi ad dissecandum suppeditari memini cadavera hominum, dum in viuis essent, incolumi firmaque sanitate gauisorum, in quibus tot tamque insignes illarum varietates conspiciendas sese praebenterent, vt mirandum vtique es-

set, eas nihil momenti ad vniuersam talium corporum rationem attulisse, vel incommodi et offensionis cuiusdam causas extitisse. Neque enim yllum partium, praecipue vasorum, genus est, in quo tot, quot in venis, occurrant diuerfitates; adeo ut vel peritissimi dissectores de origine ramorum venosorum ex suis truncis seu ramis maioribus certi quid definire magnopere dubitarint. Ipse quidem Ill. HALLERVIS, cui huius anatomes partis egregie limatae laus ab intelligentissimo quoque facile defertur, aliquo loco fatetur, se inter diuisiones, ramorum origines et numerum multo plus in venis, quam in arteriis varietatis reperisse: atque tantam hic naturae inconstantiam esse, ut neque ipse, cum arterias minute per plerasque corporis humani partes prosequeret, vñquam eum laborem aggredi sustinuerit, qui ex simili venarum descriptione nasceretur. Quot enim cadauera sint, tot descriptiones fieri necesse fore. Sed age paullo proprius ad venas ipsas accedamus, ac, partim quid ordinarie de earum indole tradatur, partim quid praeter ordinem circa eam obseruatum sit, breuiter videamus. Quodsi igitur in fabricam et constitutionem earum inquirere insituimus, facile perspicimus, venam esse vas, sanguinem ab omnibus partibus ad cor reuehens, ex tunicis membranaceis, vasculosis et musculosis constans, sed longe tenuioribus, quam in arteriis. Quod vero earum diuisiōnēm attinet, tres in primis tenendae sunt venae primariae, scilicet pulmonalis, quae a sinistra cordis auricula prodiens, primo sinum formare solet, mox deinde in quatuor, postea vero in innumerabiles ramos, per pulmones distributos, diuiditur: vena portae, quae similitudinem habet cum arbore, cuius radices sive rami inferiores in duplice vulgo ramum, dextrum, qui ventralis dicitur, et sinistrum,



nistrum dispescuntur, truncus hepar adit, ramique, vbi truncus explicari coepit in hepate, sinum portae constituunt: denique vena cava, ampliori sinu a dextra auricula proueniens, ibique venam coronariam cordis remittens, deinde in truncum duplarem superiorem et inferiorem cum valuula noua ^{a)} diuidi solita. Sed quo clarior res reddatur, de origine venarum etiam, itemque figura, structura et valvulis quae vulgo in scholis anatomicorum tradi et demonstrari consueuerint, ea hic et seriei totius intuenda, et collationis instituendae causa breuiter commemorare liceat. Venae scilicet oriri dicuntur partim ab ultimis arteriarum ramificationibus, siue arteriis capillaribus, (quod vbi sit, anastomosis venarum cum arteriis appellatur,) partim a venis lymphaticis atque resorbentibus, partim a cauernosis quibusdam corporibus, tanquam pene, clitoride et liene. Figuram illarum respicientes, animaduertimus, eam esse non minus quam in arteriis conicam, intercedente hoc uno discrimine, ut sanguis in arteriis ex angusto spatio in angustius, in venis vero ex angusto in angustius propellatur. Ipsae porro, si structuram earum requiras, iisdem, quibus arteriae sunt compositae, tunicis constare comprehenduntur, nisi quod hae multo tenuiores, subtiliores ac debiliores tunicis arteriarum reperiantur, vti iam supra monitum est. Peculiaris quoque conspicitur venarum diameter, eaque amplior diametro arteriarum, quippe tunc apparens, vbi arteriae cum venis anastomoses formant, quod fit per totum corpus, exceptis venis pulmonalibus, vbi arteriae, nisi ampliores, certe tamen venis amplitudine aequa-

a) Hanc valuulam optime delineauit C H E S E L D E N. Anatom. Tab.
XVI.

aequales sunt. Attinet hic et illud admonere, saepius eam
ynius arteriae rationem obseruari, ut duas habeat venas ad se
pertinentes. Denique videntur et attingendae esse venarum
valuulae, circulum sanguinis mirifice iuuantes, quae non
nisi plicature sunt, a duabus tunicis interioribus formari
solitae, formam semilunarem vulgo prae se ferentes; ita ut
marginem conuexo partibus arteriarum internis adhaereant,
concauam autem liberae appareant, versus cor communiter
conuersae.

Quaecunque igitur hucusque a nobis in medium pro-
lata sunt, ea ad ordinariam venarum rationem pertinent:
nunc, vt propositum est, nonnullas naturae aberrationes,
in venis conspicuas, recensemus. Quam in rem initium
faciemus a vena cava, ad quam quidem quod attinet, in
femina sexaginta annorum dissecanda venam cavaam du-
plicem animaduertimus, ita ut vna in dextro aortae latere;
altera vero in sinistro appareret. Dextra propterea, quod
duplex erat vena catia, iusto quidem minor, attamen ma-
ior quam sinistra reperiebatur. Haec ex renali sinistra orta
spermaticam sinistram exhibebat, atque in duas venas ilia-
cas minores, et quidem internam et externam diuidebatur.
Idem etiam in dextro venae cavae latere spectabatur. Eius-
modi exemplum relatum legimus ab Ill. HALLERO^{b)} de
puella in theatrum anatomicum delata, in qua vasa nume-
rosa tam arteriosa quam venosa in conspectum prodierint,
et venam vnam maiorem a vena cava natam esse intelle-
ctum sit. Non admodum dissimilis, neque a nostra obser-
uatione longe alieni exempli mentio iniecta inuenitur in

b) vid. EIVSDEM oper. min. Tom. III. p. 45.

commentariis Petropolitanis,^{c)} vbi venam cauam ascenden-
tem duplēcēm apparuisse, exemplo quodam indicatur. Ve-
nam item cauam inferiorem duplēcēm se obseruasse scribit
Cel. LOBSTEIN.^{d)} Neque desunt, qui tres cauas se in-
uenisse memorent, quarum quaelibet in auricula anteriore
terminata esset.^{e)}

Quid? quod venam cauam coecam inter iliaca et re-
nales concretam, caui loco carnem polyposam fibrosam
Ill. HALLERVS in Opus. Patholog. memoriae mandauit.^{f)}
In quodam porro demortui viri quadraginta annorum ca-
davere venam cauam iusto quidem minorem, sed tamen si-
nistra vena caua maiorem aliquando deprehendimus. Haec
ex renali sinistra orta spermaticam sinistram exhibebat, at-
que in duas venas iliaca minores, internam et externam,
continuabatur. Id ipsum in dextra vena caua poterat ob-
seruari. Simul MORGAGNIVS^{g)} aliquando vidit, venas
iliacas arteriis iliaca et cauae truncum aortae trunko non a
dextris subfuisse, sed a superioris initio cauam, se oblique
fursum et dextrorsum inflectentem, debitam sibi sedem re-
petuisse.

Vena caua superior non longe a loco connexionis cum
auricula antorsum in dextro latere venam mediastinam, pe-
ricardinam, diaphragmaticam superiorem, venam thymi-
cam atque mammariam internam vulgo dimittit et in fini-
stro

c) Tom. XII. p. 262.

d) vid. EIVSDEM diff. in ang. de neruo spinali, ad par vagum acces-
sorio. Argent. 4to.

e) Cel. BOEHMERI Progr. de confluxu trium cauarum in dextro
cordis atrio. Hal. 1563. 4to.

f) vid. pag. 42.

g) conf. EIVSDEM epist. anatom. XX. §. 5.

stro latere communis harum venarum mater subclavia esse solet. Saepissime tamen accidit, ut non semper constantem esse harum venarum originem inuenirem, sed maiorem interdum ex anteriore parte vena cauae ramum prodire, qui commemoratis hisce venis minoribus plurima ex parte ortum praeberet, ita tamen, ut venam mammariam internam nunquam aliunde nisi ex vena caua ipsa in dextro latere oriri viderim. Addi etiam meretur hoc, nonnullas harum paruarum venarum interdum ex eadem mammaria proficiisci.

Vena caua superior a posteriore parte venam sine pari, vti satis superque notum est, dimittit, quae retrosum post venas pulmonales a latere dextro corporum vertebrarum dorsarium descendit, ductumque thoracicum sibi appositum habet. Finitur illa vel in vena renali dextra, vel in caua inferiore vel etiam in spermatica,^{h)} ita tamen ut antea tum bronchiales tum oesophageas et intercostales dimittat. Magnus eius ramus vel etiam plures super corpora vertebrarum dorsarium sinistrorum descendunt, et intercostales eiusdem lateris venas exhibent. Hanc venam semper simplicem inueni, et, quae a nonnullis azygos sinistra nominari consuevit, ea magis ramus huius vena paullo maior est ac dici debere videtur. Duplex tamen azygos in eadem Cel. BOEHMERI obseruatione est, vna ex vena caua dextra, altera ex sinistra originem duxit suam, ita ut quaelibet azygos bronchiales oesophageas et intercostales ramos sui lateris gigneret.ⁱ⁾

Viri

^{h)} MORGAGN, epist. ad LANCIS, vid. aduersar. anatomi, vbi exemplo quadam probatur, sinistrum venae sine pati ramum in spermatica vena esse terminatum.

ⁱ⁾ v. Diff. laudat. l. c. it. not. k.

Viri cuiusdam sexaginta annorum vita defuncti corpus dissecantes, venam emulgentem dextri lateris duplificem confpeximus, cuius vterque ramus minor esset, quam vena emulgens sinistra. In eodem cadavere, vt hoc adiiciamus, primus hypogastricae venae ramus, ex parte conuexa arcus ad superiorem ossis sacri tendebat, atque cum vena sacra anastomoses formabat.

Venarum pulmonalium quidem vt plurimum constat esse terminum hunc, vt quatuor a se separati trunci totidem orificiis in auriculam sinistram aperiantur. Veruntamen non deficiunt obseruationes, quae ostendant, quatuor istos truncos saepenumero vel in tres, vel etiam in duos truncos confluere, qui tot, quot trunci sint, orificiis in auricula terminentur.

De vena iugulari mihi quidem non vsu euenit, vt peculiarem aliquam varietatis relatu dignae obseruationem facere possem. Neque tamen per huius loci opportunitatem, cum insignes ratione venarum naturae ἀνοικας proponere in animo sit, temperare mihi possum, quo minus luculentae cuiusdam obseruationis meminerim, iugularem externam quoad progressum in aliquo cadavere animaduersam fuisse duplicem, quoad insertionem vero quadruplicem tradentis, truncum item venae azygos duplificem narrantis.^{k)}

Non silentio hic praetermittendum esse mihi videtur, quod in cadavere quodam masculino de vena coronaria stomachica memini me obseruare. Eam scilicet non ex vena splenica ortum habuisse intellexi, vti Cel. SCHAARSCHMIDT cum haud paucis aliis defendit, sed ex trunco venae cavae

B 2

in-

^{k)} vid. Commentar. Acad. Scient. Imperial. Petropolit. Tom. XII. p. 318 seqq.

infra sinum portae. Quae quidem animaduersio cum aliquo Ill. HALLERI¹⁾ obseruato fere congruere videtur, quippe qui ramum venae cordis coronariae trans arteriam pulmonalem sub aortae radice versus acutum marginem cordis descendisse, atque in ipsa carne auriculae dextrae in aliquam venarum innominatarum se immisisse deprehendit. Eandem venam cordis facile principem se in subclaviam dextram inseruisse annotauit L E C A T, chirurgicarum operationum laude famosissimus.^{m)} Sed rarissima haec est obseruatio, quae vehementer vereor ne aliarum disquisitionum auctoritate suffulciatur. Itidem vena haemorrhoidalis interna sive mesaraica minor in alio quodam homine, ad disseccandum mihi suppeditato, ex trunko venae portae ortum duxisse, animaduerti.

Denique etiam in hoc qualiuincunque obseruationum censu haud immerito ponendum est, quod de radiea externa aliquando deteximus. Cum nempe feminae cuiusdam, in theatrum anatomicum delatae, corpusculum cultro anatomico subiiceremus, radieam externam in eo duabus radicibus ex vena cephalica maiori oriri cernebamus, in quo aliae adhuc variationes ratione situs et ramificationis venarum conspiciebantur, quas non lubet singulas hoc loco percensere.

Supersunt quidem nonnulla adhuc diuersitatum quoad venas genera, nullo modo contempnenda, tanquam in venis hepatis et renalibus: sed, quoniam instituti nostri ratio non fuit, omnes ac singulas vasorum venosorum a constituta naturae veluti lege aberrationes, aliquorum anatomicorum

1) vid. EIUS Element. Physiolog. Tom. I. lib. IV. sect. 3. p. 377

m) L'histoire de l'Academie Royale des Sciences 1738. obseru. 7. p. 62

rum industria occupatas, hic in vnum quasi cumulum congestas proponere, non esse putauimus, quod prolixam eorum enumerationem susciperemus, in iis tantum acquiescentes, quae nostris ipsi oculis vidimus et data opera excussimus. Qui vero variam, nominatim hepatis, venarum indolem cognoscere cupierit, eum ad nou. Acta Nat. Curios. amandamus.ⁿ⁾

Itaque nunc ad indicandum consilium, positis scriptiunculae finibus, progredimur, quo haecce prolusio a nobis conscribenda erat. Nempe non sine commendatione dignitatis indicendi sunt summi in arte medica honores, quibus more modoque solenni ex Ordinis nostri auctoritate propediem condecorandus est

VIR

PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
IOANNES CHRISTIANVS
BODENSTEIN

MEDICINAE BACCALAVREVS DIGNISSIMVS

qui multos per annos laudabilis affiduitate in id incubuit, ut idoneam sibi literarum, in primis doctrinarum medicarum cognitionem comparareret, qua instructus non modo ad summam apud nos dignitatem adspirare, verum etiam, editis legitimis speciminibus et impetrata a nobis artis exercendae potestate, aliis inscriuire posset. Quod quam vere et iuste dixerimus, planius intelligetur ex iis, quae de rebus, ad eius vitam et studia pertinentibus, pro consuetudine iam sunt recensenda.

B 3

Sci.

n) Tom. III. p. 545.

Scilicet Cl. Candidatus in lucem editus est Grimaie, anno huius saeculi quadragesimo, die XV. mensis Decembris, patre quidem IOANNE CHRISTIANO, chirurgiam ibi exercente, matre autem IOANNA REGINA NEICKIA. Hi igitur parentes fidelissimi, quos adhuc superstites pie grataeque veneratur, primam et antiquissimam habuerunt curam hanc, ut ipsi eum pro viribus in primis religionis elementis erudirent, atque disciplina domestica ad pietatis aliarumque rerum honestarum et utilium cultum conformare studerent, deinde vero curae et institutioni aliorum, praecipue Cl. SCHWARZENBERGII, scholae in oppido Doeblensi Rectoris, committerent, cuius praceptoris per aliquod temporis spatium usus, cum non contemnenda literarum fundamenta iecisset, anno aetatis decimo sexto chirurgiae operam nauandi consilium cepit. Quapropter ad chirurgiam militarem accessit et paullo post Pirnae a Borussis, nostris ibidem castris potitis, captus per tres fere annos medicorum doctissimorum et chirurgorum exercitatissimorum monitis et consiliis adiutus, rei chirurgicae notitiam probabilem ut sibi adquireret, assidue laborauit, eaque ob caussam in nosodochiis praesertim vulneratorum curam sedulo gessit. Postea prope Misenam iterum ab exercitu Austriaco captus, inter copias Saxonicas aegrotorum et vulneribus affectorum saepe adeundorum et curandorum mandata accepit, quae cum rite exequi conaretur, non potuit non suam in chirurgia dexteritatem luculenter augere. Finito autem bello, relictis castris ad pacatiora transiit, Dresdani quippe profectus, ubi praelectionibus Ill. HAEHNELII, Consil. aul. et Medici primarii, Excell. PITSCHELII, Exper. STEINLOECHLERI, nec non Cl. WASSERMANNI, chirurgis praefecti, per integrum biennium interfuit, nec parum inde profecit.

Auctu-



Aucturus deinde doctrinae medicae, cui consequendae coepit studere, copias, in nostram sese ciuitatem contulit, anno huius saeculi septuagesimo, ab Ill. BELIO fasces tunc tenente aca demica ciuitate donatus. Quo consilio in addiscendis artibus, ad humanitatis disciplinam pertinentibus, Excell. REI ZIVM, in philosophia vniuersa percipienda Excell. GAR VIVM, in physica colenda b. H A V B O L D V M praeceptores assidue securus est. Doctrinas autem medicas ipsas accurate ut cognosceret, accessit scholas b. L V D W I G I I, quibus ille pathologiam, therapiam, praxin clinicam et formularem doceret. Magn. PLAZIVM, Decanum ordinis nostri maxime spectabilem, aphorismos BOERHAAVII explicantem atque historiam medicam enarrantem, sedulo audituit. In exercitationibus anatomicis, disputatoriis et examinatoriis mihi adfuit: ab Excell. BOSIO physiologiam: ab Excell. KRAVSIO osteologiam: ab Excell. GEHLERO piacepta artis obstetriciae et botanicae accepit. Vsum aquarum et vires medicamentorum ipsi Excell. TILLINGIVS, physiologiam Exper. HAASIVS, anthropologiam, materiam medicam et medicinam forensem, Excell. PLATNERVS exposuerunt. Denique etiam Exper. LEONHARDI examinatorium medico-practicum et formulare frequentauit. Absoluto hinc studiorum academicorum cursu examen theoreticum sustinuit, in quo cum nobis sese probasset, Baccalaurei dignitate die XXVI. Sept. anni praeteriti ornatus, mense Nouemb. post consuetas pro *Licentia praelectiones* recitauit, atque in iis *de variolarum naturalium et artificialium pathologia et historia* differuit. Die XIV. Aug. huius anni ad alterum examen admissus et, probatis nostro iudicio notitiae medicæ, quos haberet, profectibus, dignus a nobis iudicatus

tus

tus est, qui summis in arte nostra honoribus ornaretur. Quos ut rite capebat, proximo instante die III. Septembris dissertationem inauguralem *de viribus medicamentis hydrargyri et inde arte factis pharmacis*, Praefide Excell. KRAVSIO contra dissentientes more academico defendet. Quo certamine peracto, ego pro munere PROCANCELLARII ad hunc actum clementissime mihi demandato, ei ritu solemni *Licentiam summae in medicina dignitatis consequendae*, dabo, praemiso breui sermone *de medicina religionis commendatrice*. Hunc igitur actum ut honorifica sua praesentia clariorem atque solemniorem reddere velint RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQUE REIPVBLCAE PROCERES, itemque GENEROSISSIMI AC PRAENOBILISSIMI COMMITITONES, obseruanter et officiose rogamus, annexa simul confirmatione humanissima, nos insigne hoc fauoris documentum animo grato esse veneraturos, atque ad omnia officia promtos semper ac paratos futuros. Lipsiae Dom. XII. post Trin. MDCCLXXIII.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA



1018

316

72

ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA LIPSIENSIS
H. T.
PROCANCELLARIUS

D. IOANNES CHRISTOPHORVS

P O H

PATHOLOGIAE PROF. PVB

ET COLLEGII B. M. VIR

DECEMVIR COLLEGI

PHYSIC. PROVIN

IMPER. N

P A N E G Y R I

AD DIEM III. SE

I N D

OBSERVATIONES AN

PRO

